



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De virtute simplicitatis, cap. primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

DE SIMPLICITATE

LIBRI SEXTI

CAPVT PRIMVM.

*Simplici-
tatis cō-
menda-
tio.*



Isaia 60.

*Non lo-
quuntur
de opere
natura
sua ma-
lo, sed ve-
rito, ut
patet.*

Simplicitas est maxime
inter omnia virtutum antidota
contra tētationum incommo-
da, ipsosque tentatores damo-
nes, maioris efficaciam esse vide-
tur virtus simplicitatis. Hęc vir-
tus felle caret totius amaritudi-
nis, iræ, inuidiæ, rancoris, caret
& oculo venenato suspitionis,
dēteque canino detractionis. Simplicitas est maxime
necessaria nouiter conuersis: quia si voluerit nouitus
ordinem simplicitatis reprehendere, facta & instituta
maiorum iudicare, quare sic vel sic illa & illa fiant,
cum magistro suo disputare nunquam quiescit. Vnde
Abbas Carolus, cum essem in probatione, mihi dicere
cōsuevit: Frater, si vis quiescere in ordine, ordinis sim-
plicitas sufficiat tibi: Virtutem simplicitatis Ilaias in
electis admirans ait: Qui sunt isti, qui vt nubes volāt,
& quasi columbarū, sunt oculi simpliciū monachorū.
Horum volatus sublimitas est contentionis. Vterque
oculus religiosorū simplex esse debet, exterior videli-
cet & interior. Oculus corporis, vt procul sit suspicio:
oculus cordis, vt recta sit intentio. Hęc opus per se
malum facit bonum, & econuerso, sicut in sequenti
capite satis aperto tibi ostendam exemplo. APOLLONIVS:
Bene hoc cōcedo, quia Saluatorē recolo dixisset:
Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lu-
cidum erit. CAESARIUS: Reuera vbi simplex fuerit in-
tētio, ibi necesse est vt lucida sequatur actio: sicut e-
contrario, oculus nequam, id est intentio mala atque
peruersa, totum corpus, id est opus, efficit tenebrosū.
Vnde bene in sexta distinctione tractandū videtur de
simplicitate, quia sicut senarius numerus naturaliter
est

est perfectus, ita hæc virtus, secundum iam dictam sententiam Saluatoris, totum hominem luminosum facit atque perfectum. Iacob simplex a patre benedicitur: filius eius Ioseph toti Ægypto a Pharaone præficatur: Iob simplex a Domino commendatur. Virtus simplicitatis a Christo discipulis prædicatur: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Simplicitati coniungit prudentiam, propter recordiam. Itē dicit: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, id est humiles & simplices, non intrabitis in regnum cælorum. Simplicitas grata est ad Deum, grata angelis, hominibus delectabilis. Vnde cæteris virtutibus omissis, quantæ sit efficaciam sancta simplicitas, paucis explicabo exemplis.

CAPVT II.

Dominus Wido Abbas Cisterciensis, postea Cardinalis, cum missus fuisset Coloniam ad electionem confirmandam, quæ facta fuerat contra Philippum in Ottonem, retulit ibidem quandam sancte simplicitatis historiam satis iocundam, satisque mirabilem. Dicebat domum quandam ordinis nostri in terra cuiusdam nobilis viri atque potentis fuisse sita, quâ idem tyranns, eo quod Deum non timeret, neque hominem reuereretur, multis modis saepe molestauit: de ænona, vino, & pecoribus, quoties & quantum voluit, tulit, quantum voluit fratribus dimisit. Cumque hoc ex consuetudine & quasi pro lege habes acriter, & conuentus querimonijs multis inutiliter tædiati gemetes taceret, die quadam maximam partem rapuit armenti, præcipiens illam ad castrum suum minari. Quo cognito, Abbas & fratres satis turbabantur, in quorum consilio quid facto opus esset satis tractabatur. Visum est eis aliquem ire debere ad castrum, per quem saltem res ei innotesceret, maxime Abbatem, qui respondit: Ego non ibo, quia monendo illum nihil proficimus, sed aere tantummodo verberamus. Simili modo excusante se Priore & Cellerario, subiunxit Abbas: Est ne hic aliquis, qui adhuc semel ire velit? Tacetibus cunctis, vnus diuinitus inspiratus, ironice

X s

respon-